

plum nostri vel nostrorum cum illis ad quodlibet exemplum falsissimum scriptum esse conici potuisset, nisi quod illi quo nostro noviores eo mendacius erant pleniores. Illis igitur abiectis titulos, qui capitibus testimoniorum prenotati erant, consului, ut illorum auxilio liber et libri locus, unde sententia queque decerpta erat, posset inveniri et ita, si quod depravaverant scriptores, attestatione libri, de quo sumptum est, emendari. Sed ~~nam~~ eos ita transmutatos inveni, ut paucissimis exceptis numquam in eo libro capitulum quodlibet posset inveniri, in quo tituli prenotatio illud docebat haberi. Tunc ego ad laborem accinctus cepi omnes, quos habemus sancti Gregorii libros percurrere et numquam a labore quievi, donec omnia capitula, que liber ille Paterii tenebat, quo libr^{is} essent posita, investigavi et sic ex ipsis locis, unde sumpta fuerant, emendare curavi et, ut deinceps, si quid scriptorum culpa corruptum fuerit, facilius eodem modo possit emendari, non solum, quo vel quoto libro sed quoto etiam libri capitulo sententia quelibet habeatur superscripsi. Sed hec mihi querenti, dum multa de libris, quorum codex ille nihil ~~nihil~~ habebat, testimonia sponte occurrerent, placuit mihi maiore diligentia que ne possent inveniri ~~capitulum~~ investigare ex eadem ratione, qua illa vidi per ordinem digesta, colligere. Itaque factum est, ut dum terciam solummodo partem paternitatis vestre precepto corrigendam suscepissem, non solum illam corrigerem, sed etiam duas, quas in his regionibus invenire non poteram, superadderem. Quod ne quis puret fecisse causa iactantie, si totum collectaneum Paterii michi potuerit et voluerit exhibere, omni me sciat alacritate suscipere meoque libenter deleto illius opus in multa sicut decet veneratione tenere; quamdiu vero illud habere non potero, istud mihi tantum ex amicis legendum servare volo. Hoc vero proemium idcirco libri inserere curavi, ut si cuiquam, qui illud opus integrum habeat, hoc in manus venire contingat, utriusque diversitate cognita, quod cui preponere debeat, intelligat. Sed quia magnitudo vestra mee parvitati causa fuit, ut tantum opus inciperet, vestri nominis hoc michi placuit auctoritate corroborare, quatinus dum in prima pagina vestrum nomen aspiciat, omnis obtrectatori suo digitum ponat nec ullus hoc malivolus audeat reprehendere, cuius auctorem vestram iussionem viderit extitisse.

corr. aut q^{ua} h^{ab}

proemium h^{ab}

corr. aut parvitas h^{ab}
nominis h^{ab}